

VIET-CHI POST N. 39

Kal. Oct. 2009

Relatio de

SU-LO: KY-MON Quyên, Forma egregia

a VCP Coetu et Khiem-Long scripta

(Pars secunda. Prima pars in VIET-CHI POST n. 38)

Quid quyên KY-MON est? Cur egregium putatur?

KY-MON quyên (exercitandi forma, *kata* Iaponice, *chuan* Sinice) magistris servatur; quam ob causam, si vis id discere, necesse est magister cuisvis ex octo Viet–Chi disciplinis vel alterius martialis artis sis. Cum haec egregia forma Ky-Mon ad usum magistrorum creata esset, eam describere nolumus; vos tamen breviter docebimus aliquam rem cognitione dignam. KY Vietnamitice valet egregium, praecipuum, arcanum, novum, optimum; ianua Vietnamitice appellatur MON. Intellecturus es hi non usitati cancelli usualis itineris sunt. Egregia ianua Ky-Mon interdum aperitur, cui iter deruptum sequitur.

Ut ceterae formae Viet-Chi systematis eiusque octo disciplinae, necesse est Ky-Mon forma quoque principia Bat-Nguyen servet—i. e. octo principia quae Vietnamiticas formas dirigunt —, et novem exercendi facies a docendi ratione Cuu-Doan statutas. Ex more quyên (*kata* Iaponice, *chuan* Sinice) cuiuslibet ludi in unam inter has tres classes distribuitur: Lenem, Mollem, Duram vel in duo proposita exercitandi: Interius et Exterius. Ky-Mon, tamen, forma eximia est: per suas 18 successiones, tres classes et duo proposita complet. Numerus 18 ad



series contexendas electus est, quod efficax mathematicorum figura, quae varia spatia commutationum in usu atque exercitatione dat, est. Quam ob causam unicuique successioni nomen, intellectus, technica ratio est. Praeterea spirandi ratio ad humanam physiologiam addi potest. Si discipulus bonus eris, multa ex hac forma discere poteris. Prima successio, ut exemplo utar, quae inscribitur ‘Magistrum esse’ nos docet Legitimam artem aperiendarum formarum Viet-Chi Systematis, Usitatam spirandi rationem, Symbologiam formae Su-Lo An (Magistri Sigillum), Tres docendi rationes magistri, Legitimam artem aperiendi series motusque, coniunctam cum hominis fabricationis bona valetudine. Post primum motum, ceterae successiones quae ad interiorem exercitationem pertinent (noi-cong) et externaerum technicarum (ngoai-cong) multas vias discendi discipulis

aperient, qui aequa responsa accipient multis suis postulatis.

Nunc facile est intellectu Ky-Mon factum esse ad usum magistrorum. Si bonus magister vis esse, discere Ky-Mon perutile tibi erit. Si bonos amicos habes, Martialium vel psychophysicarum artium magistros, eos ad conventum exercitationemque Magni Magistri Phan Hoang invita, dummodo ne homines, qui omnia sine ullo labore consequi velint, sint.

VCP Coetus, Khiem-Long, m. Sept. a. 2009